

Peter Hinckelmann    Nicolaus Fridericus

**De Papismo Disputatio Anasceuastica Vigesima Prima. Continens praecipuos  
Romanae Synagogae errores refutatos, quos ea fovet in locis De Adiaphoris Et  
Miraculis**

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756812836>

Druck    Freier  Zugang



P. Hirkelmann.

R.M. theol. 1607. 8.



- Continenta
- ① Joh. Insclius, de deo uno et vero 1607
  - ② Joach. Hammingius, de communicatione majestatis 1607
  - ③ Joach. Fischerus, de peccato originali 1607
  - ④ Heid. Kirchovius, de abstractis hominis 1607
  - ⑤ Joh. Redekerus, de discrimine legis ev. 1607
  - ⑥ Heron. Tectorius, de justificatione 1607
  - ⑦ Joach. Jordenius, de bonis operibus 1608
  - ⑧ Joach. Insclius, de sacramentis 1608
  - ⑨ Joach. Hammingius, de sacramento coenae 1608
  - ⑩ Heid. Kirchovius, de sac. confirmationis 1608
  - ⑪ Joh. ab Huda, de traditionibus 1608
  - ⑫ Paul. Brinerus, de votis monachatus 1608
  - ⑬ Nic. Fridericus, de adiaphoris 1608
  - ⑭ Heron. Hamerius, de oratione 1608
  - ⑮ Petri. Loft, de indulgentiis 1608
  - ⑯ Joh. Albrechtus, de morte 1608



N. 101

DE PAPISMO  
DISPUTATIO ANASCEVASTICA  
VIGESIMA PRIMA.

*Continens precipuos Romanae Synagoga errores  
refutatos, quos ea fovet in locis*

De

ADIAPHORIS  
ET MIRACU-  
LIS.

*Reverenda facultatis Theologicae in Academia  
Rostochiensis consensu:*

Moderatore & Doctore S. S. Spiritu:

Sub Praesidio

*M. PETRI HINKELMANNI*

*Verbi Divini ministri:*

ad privatam *συζητησιν* proposita

NICOLAO FRIDERICO  
Stadensi.

*8. Id. April. Horis locoq. solitis.*

ROSTOCHII,  
Litteris Reufnerianis An. 1608.









DISPUTATIO XXI.  
DE ADIAPHORIS ET  
MIRACULIS.

περὶ ἀδιαφορίας.

I.



Vod de civili libertate eximius ille ac clarissimus, apud Ciceronem sapientissimè protulit, Orator Crassus: Utraque res, inquit, optima est, & servitus moderata, utraque pessima, & servitus immoderata, & libertas immoderata: Id si à plurimis seculo nostro diligentius consideratum, ad Ecclesie Dei tum liberae, tum suo modo obligatae statum applicaretur, minus certè controversiarum ac contentionum in eadem experiremur.

II. Ut enim plura alia jam non referam, nemo est, qui, quanta ob solas ceremonias ac ritus ἀδιαφορίας in Ecclesia vel retinendos vel negligendos, incommoda, quanta litos, quanta dissidia orta fuisse, ac indies oriri non videat: dum alij perniciosâ licentiâ ac temeritate, sub libertatis Christianae praesidio, eosdem ex Ecclesia pomærio exstirpandos: alij contra in eorum χεῖρας, conscientias prava superstitione astringentes, sub necessitatis absolutae, cultus ac meriti opinione observandos contendunt.

III. Atque, ut prioribus suo loco reservatis, cum posterioribus hac vice ad examen vocatis, congregiamur, verè affirmare possumus, nunquam humanae mentis lasciviam fuisse ad varios excogitandos cultus procliviorē, quàm in Papatu, Antichristi regno, in quo sese irreligiosa haec religionis affectatio nimium prodidit, ac etiamnum prodir. Quot enim ibi capita, tot sensus: tot traditiones, quot tricornati Pontifi-

A 2

ces:



ces: quot Cardinales ac Episcopi, eorū ceremonie atq; ritus Ecclesiastici coacervati servantur.

Epist. 119.  
ad Ian.

IV. Quam miserrimè verò immenso hoc traditionum ac Ceremoniarum jugo Ecclesiam, cui inestimabili sanguinis Christi pretio empta est libertas; presserint sedis Apostolica defensores, animis ac conscientijs hominum laqueos ac compedes injiciendo, interim verò verum Dei cultum, ejusq; mandatorum observationem spernendo, vel ex unice Augustini acerbissima querela elici sufficientissimè potest, ubi suâ ætate neglectis Dei præceptis tam multis præsumptionibus plena fuisset affirmat omnia, ut gravius corripere, qui per Octavas suas terram nudo pede attigerat, quam qui mentem vinolentia sepelierat; & Ecclesiam, quam Deus liberam esse voluit, ingenti traditionum ac rituum congerie obrutam fuisse, ut tolerabilior fuerit Judæorum in Veteri, quam Christianorum in N. T. conditio.

V. Quapropter cum hoc tempore numerus constitutionum ac ceremoniarum in Tyrannide Pontificia decuplo sit major, & singuli apices centuplo rigidius, quam tunc, exigantur, operæ precium est, ut, quemadmodum superiori disp. 19. de Traditionibus, quas absq; verbo Dei, imò è diametro cum illo pugnantes Ecclesiæ obrudere anxie nituntur, nervosè fuit Papicolis responsum: ita hac disquisitione præcipuos eorum errores, quos in adiaphoris astruendis, sive ceremonijs ac ritibus venerant et habendis, alunt, consideremus, subjunctâ doctrinâ de Miraculis.

VI. Instituti autem nostri ratione habitâ, præsentem disputationem in tria partiemur capita: 1. agemus de Adiaphoris, sive ritibus humanis ac ceremonijs in genere. 2. In specie quasdam ceremonias Pontificiorum examinabimus. 3. Ultimò dicetur de miraculis.

#### CAPUT PRIMUM.

#### De Ceremonijs in genere.

#### Primus Error.

Conc. Trid.  
sess. 7. can. 13

Res adiaphoræ, ac ritus illi humani, non mandati divinitus, sed recepti & approbati ab Ecclesia Catholica, sunt



sunt observatu maximè necessarij, imò æquè observandi,  
atq; leges Divinæ.

### REFUTATIO.

I. *Quid per Ceremonias, seu ritus illos Ecclesiasticos, pro quibus, sub necessitatis opinione Ecclesiæ obrudendis, non aliter laborant Tridentini Paterculi, quam si pro aris ac focis, suisq; ipsorum capitibus pugnent; intelligant, in erroris hujus vestibulo aperte monstratur; illas nimirum constitutiones, quæ verbo Dei carentes, arbitrio humano in Ecclesiam introductæ sunt.*

II. *Ex his plurimæ nihil aliud sunt apud Pontificios, quàm chaos quoddam vel anilium deliriorum, vel puerilium gesticulationum, vel Monasticarum superstitionum: quales sunt; de signo crucis pingendo in frontibus, de benedicendis & inungendis altaribus, de peregrinationibus ad loca sancta, de Monachorum & monialium vestibus; de coma clericorum & Monachorum, de diebus lugubribus & lætis in Ecclesia, de cantu & silentio Alleluja, & similibus ociosis ac ludicris ceremonijs, scenæ Pontificiæ inservientibus, quarum funem tam longum prorrahunt, ut terminum earum ponere nondum ipsi ausi sint Pontificij.*

III. *De ejusmodi ritibus, maximè verò de illis, quæ tñ ἐναρμόνιον Ecclesiæ & ἑμὸδοπῆν servientes, in nostris quoq; conventibus recipiuntur, inter nos & Romanenses controvertitur: an observatu illi sint adeò necessarij, ut pro temporum, locorum, personarum, & aliarum circumstantiarum ratione, consensu Ecclesiæ, extra casum scandalali, sine peccato, à ministris Ecclesiæ, mutari vel omitti nequeant. Nostrates negantem; agentem tuentur Papicolæ sententiam.*

IV. *Affirmationi suæ, cum videant omnibus se fulcris destitui, elumbem substernere nituntur Ecclesiæ, (subintellige Romanam) auctoritatem, quam titulo Catholicæ falsò ornare non erubescunt, impudenter vociferantes; omnes illos ritus, qui in Papatu adhiberi consueverunt, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus esse. Interrogati, quam purent Ecclesiam Catholicam; non temporibus Apostolorum vicinorem, aut subsecutam, (cùm non ignorent, plerosq; ex il-*  
*lis ri*



li ritibus, nec semper à tempore Apostolorum, nec ubiq; in omnibus Ecclesijs receptos & usitatos fuisse: sed etiam multos ex vetustissimis ritibus per posteros abolitos, & in novos commutatos esse) sed Romanam, Romanam intelligendam esse omnes uno ore acclamant. Verùm cum hæc enormis principij petitiõ etiam lippis ac tonsoribus innotuerit, & per se ruat, ad negantis nostræ sententiæ rationes subjungendas pergemus.

V. Ac 1. rituum horum usum non esse absolutæ necessitatis, sed liberum, probari potest ex appellationibus, quibus à Theologis ipsorum natura descripta exprimitur: ut quod dicuntur, τὰ ἐν μέσῳ κείμῃνα, καὶ ἐν μέσῳ, καὶ ἐν ἐξέσει, ἀδύναστα, ἀπεργαστα, ἀδύφορα, ἀγροφα. Eo enim ipso à constitutionibus divinis ἐγγεγραφοῖς, quæ ad fidei dogmata pertinentes, ex mandato Dei observatu maxime sunt necessaria, discernuntur.

a) 1. Cor. 7. 15

VI. 2. Probat hoc gentium ille Doctor, sic scribens (a): quod quædam ita comparata sint, in quibus frater aut soror non obligata sit ad necessariam servitutem, & quoad cultum Deo præstandum.

b) Ibid. 7. 35.

Quare mox subjicit (b): se in rebus medijs nullum velle laqueum hominibus inspicere, aut necessitatis lege eos obstringere, sed libertatem à Deo concessam pijs relinquere. Sic alibi (c): ne quis vos judicet,

c) Col. 2. 16.

inquit, in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut novilunij, aut Sabbathorum. Et (d): qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet.

d) Rom. 14. 3.

VII. 3. Accedit evidens ratio ex dictis Pauli, quibus nos per Christum acquisita libertatis admonet, deducta: Si enim in libertate, qua Christus nos liberavit, stare, nec servitutis iugo iterum implicari nos pati debemus, cerè servituti ceremoniarum humanarum, quæ, si opinio necessitatis accedit, quantumvis naturæ suæ mediæ, viciantur, & supersticiosa atq; impia redduntur, nos subjicere non debemus: Ac

Gal. 5. 1.

præius verum: Nolite, inquit apostolus (e) iterum iugo servili subijci, in libertate in qua Christus vos liberavit, stare: Precio redempti estis, ne fiat is servi hominum (f), Verum igitur & posterius.

f) 1. Cor. 7. 23

VIII. 4. sub



VIII. 4. Subscribit huic nostrae sententiae D. Augustinus, cum Epist. 118. a  
 inquit: Totum hoc genus liber as habet observationes: nec disciplina Ianuarium  
 esse in his melior gravi prudentia Christiano, quam ut eo modo agat,  
 quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque forte devenit. Quod  
 enim neque contra fidem, neque contra honos mores injungitur, & indiffe-  
 renter esse habendum, & pro eorum, inter quos vivimus, societate ser-  
 vandum esse.

Secundus Error.

Ritus Episcoporum autoritate, absque mandato Dei  
 instituti, sunt cultus Deo maxime placens.

REFUTATIO.

I. Dato uno inconveniente, sequi infinita, Logicorum maximam edo-  
 cemur: quod in primis Pontificiorum dogmate comprobatum reddi-  
 tur. Namque ut intra limites tantum maneamus, quam primum con-  
 stitutionibus siue ritibus suis opinionem necessitatis affinxerunt, ex-  
 inde cultum mox iisdem attribuere non erubescunt. Ut autem nullam  
 esse rituum observandorum necessitatem modo demonstravimus: sic  
 nec cultum iisdem ascribi posse patet ex sequentibus.

II. Quia dicuntur & sunt ἠθερόσεις (a), ἠθερόσεις τῶν πνευματικῶν (b),  
 παρρησία ἠθερόσεις (c), ἐν ταῖς λαοῖς καὶ διδασκαλοῖς τῶν εὐθερίων (d), quas  
 Paulus (e) numerat inter egena elementa mundi, inter hypocritarum  
 δογματισμὸς καὶ ἐπελοθρησκείας hominum, qui nobis palmam inter-  
 vertere cupiant, data opera, per humilitatem & superstitionem An-  
 gelorum in ijs quae non viderunt, fastuosè incedentes, frustra inflati à  
 mente carnis suae, nec obrinentes caput, ex quo totum corpus per com-  
 missuras & compagine subministratum & compactum augetur aug-  
 mento Dei.

III. Ut ergo Deus serio precipit & exigit, ut solum illam colendi ra-  
 tionem sectemur, quam in verbo suo nobis praescripsit inquitens (f): Ego  
 Dominus vester, in praeceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite,  
 & facite ea (g). Quicquid ego praecepero vobis, hoc observabitis, ut  
 faciatis: ita severissime prohibet, ne cogitationes hominum sequamur.

In pra-

a) 1. Cor. 11.  
 2.  
 b) Matt. 15. 2  
 c) Gal. 1. 14.  
 d) Col. 2. 22.  
 e) Ibid. v. 8.  
 & 20.  
 Col. 2. 18.  
 & 19.  
 f) Ezech. 20.  
 19.  
 g) Num. 15.  
 39.  
 Deut. 4. 40.



In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis (h): Appropinquavit populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me, & timuerunt me mandatis hominum & doctrinis (i). Frustrà me colunt mandatis, quæ ab hominibus docentur (k). Tantum abest, ut pro cultu haberi possint.

h) Ezech. 20  
18.

i) Esa. 29. 13.

k) Matt. 15  
9.

IV. Accedit, quod, cum omnia Christianæ fidei dogmata, & totam colendi Dei rationem, cunctaq; ad salutem cognitu necessaria abundè in libris Canonicis V. & N. Testamenti contineri palam sit ex disp. 1. & 19. neutiquam humanis illis assumentis ad verum Dei cultum opus habeamus. Quid? quod in pietatem verbo Dei præscriptam impingunt Romanensium Ceremoniæ, quales sunt; sanctorum mortuorum invocatio, cultus reliquiarum religiosus, votum cælibatus perpetuum, superstitio vestitus seu habitus &c. Ruit ergo, quicquid sub cultus opinione Pontificij attribuunt ceremonijs suis.

#### Tertius Error.

Rituum externorum observatio meretur remissionem peccatorum, & deletionem cum culpæ, tum poenæ.

#### REFUTATIO.

I. Manifesta hæc blasphemia non tam refutatione, quam deplorationis opus habet. Quid enim magis impium, quid contumeliosius in Deum, quam vanis, frivolis, ineptis ac ridiculis sacrificulorum gesticulationibus, quæ meram superstitionem alentes, inutilem duntaxat elegantiae larvam continent, adq; ostentationem & pompas theatricas sunt directæ, meriti opinionem perniciosissimè tribuere, atq; affirmare, ceremonias institui ac fieri debere ad placandum Deum, ad peccata expianda, ad promerendam gratiam, ad salutem deniq; ac justitiam comparandam?

II. Sed extreme huic impietati opponimus 1. Meritum solius Christi, idq; sufficientissimum pro totius mundi peccatis singulis ac universis. Si enim observatio traditionum humanarum meritoria statueretur, & vacuaretur meritum Christi, ejusq; sufficiens satisfactio. Manifestum enim est, tantum decedere merito Christi, quantum accedit merito ceremoniarum.

2. Si



III. 2. Si operibus à Deo mandatis justiciam, salutem & vitam æternam scriptura derogat, multò minus opera ab hominibus excogitata meritoria erunt: At plurimis scriptura dictis prius constat (a). Verum igitur & posterius. 3. Si in traditionibus humanis observandis frustranea opera collocatur, certè meriti ratio in illarum observatione locum habere nequit: At prius verum: (b) Ergo & posterius.

a) Efa. 64. 6.  
Luc. 17. 10.  
Rom. 3. 28.  
1. Cor. 4. 4.  
Gal. 2. 16.  
Eph. 2. 8.  
b) Matt. 15. 9

#### CAPUT SECUNDUM.

De Ceremonijs quibusdam in specie.

##### Primus Error.

De peregrina lingua in cultu & publicis  
Ecclesiæ sacris.

Ecclesiæ ita visum est, ut in publicis Ecclesiæ sacris, latinæ linguæ publicus sit usus, ut latinâ vulgo ignotâ linguâ, sacramenta consecrentur & dispensentur, latinè baptizetur, latinè peccata absolventur, latinè canatur, legatur &c.

#### REFUTATIO.

I. Quæ nimirum sit illa Ecclesia, cujus auctoritatem ac constitutiones tantoperè jactitant Adversarij, nempe ad versa planè, & è diametro opposita Ecclesiæ Christi, Spiritum S. presidem habenti, ex hoc errore egregiè videre licet. Eo enim manifestissimè se ab his, quæ Dominus mandavit, quæ Apostoli tradiderunt, quæ Apostolica & primitiva Ecclesia servavit, segregat & contrarium approbat, ut scilicet impleat, quod scriptum est: (a) In templo Dei tanquam Deus sedet, extolvens se super omne, quod dicitur Deus. Idq; verissimum esse ex sequentibus liquet.

a) 2. Theff. 2.  
v. 4.

II. 1. Quia Christus, cujus actio nostra est institutio, eâ linguâ usus est in institutione Cœnæ, quæ tunc erat popularis, & ab omnibus intelligi poterat. Iam autem celebrationem cœnæ Christus expressè fieri mandavit in sui commemorationem, ita ut mortem Domini simul annuncient, qui de pane Domini edunt, & de poculo bibunt, juxta Pauli interpretationem. Atq; hanc ob causam in festo Pentecostes datum

B

esse



esse Apostolis linguarum donum, palam est, ut nimirum omnibus sub  
cælo populis doctrinam Evangelij proponere & Sacramenta admini-  
strare possent, eâ linguâ, quæ singulis populis nota esset, & ab omni-  
bus intelligeretur.

III. 2. Contrariatur Pontificiorum sententiæ D. Apostolus, 1. Cor. 14. ubi ex professo quæstionem hanc in utramq; partem tractat: quâ scilicet linguâ Ecclesiæ proponenda sint Scripturæ lectiones, pu-  
blicæ preces, gratiarum actiones, benedictiones &c. & simpliciter con-  
cludit; cùm in Ecclesijs omnia ad earum ædificationem sint dirigenda, ideo utendum esse eâ linguâ, quæ intelligi possit. Quomodo enim  
b) 1. Cor. 14. 16. inquit ibidem (b), qui locum implet indocti, dicturus est Amen, ad  
tuam gratiarum actionem, quando quidem, quid dicas, nescit.

IV. Quid, Deum immortalem, clarius pronunciari potest de usu  
seu abusu potius & superstitione peregrinæ linguæ, quam hæc Apostoli,  
c) Ibid. v. 19. organæ illius electi, verba, quibus contradicere Spiritus Iesuiticus non  
erubescit? Addo sequentia: In Ecclesiâ, ait (c), malo quing; verba  
mente seu sensu meo loqui, ut alios instruam, quam decem millia ver-  
borum, linguâ: qualia scilicet sunt, demurmuratio horarum Canoni-  
carum, cantillationes & boatus in templis Pontificijs, & id ge-  
nus sexcenta alia.

V. 3. Subscribit huic nostræ sententiæ veneranda Antiquitas, quæ  
non tantum servavit usum ejus linguæ in sacris, quæ singulis in locis  
si non popularis erat, tamen ab Ecclesiâ intelligebatur: verùm diver-  
sum quoq; tentantes reprehendit. De quo nota insignem D. Ambrosij  
sententiâ: Si ad ædificandam Ecclesiâ convenitis, ea debent dici,  
quæ intelligant audientes. Nam quid prodest ut quis linguâ loqua-  
tur, quam solus scit, ut, qui audit, nihil proficiat? ideo tacere debet in  
Ecclesiâ, ut ij loquantur, qui prosint audientibus.

VI. Quod verò oggannunt Adversarij, ideo latinâ linguâ uti debe-  
re Ecclesiâ, ne sacra in vulgarem vernaculam translata, usu vile-  
scant, refutatione vix dignum censeo: siquidem contraria ubiq; ex-  
tant in sacris literis testimonia. Deus enim V. T. libros omnes ver-  
naculâ



naculâ sui populi linguâ scribi, & cultum suum in eâdem peragi voluit.  
Et N. T. libri sermone, gentibus, quibus Evangelium prædicabatur,  
ustrato scripti sunt: tum & singuli populi in Pentecostes festo, suâ lin-  
guâ Evangelizantes audiverunt Apostolos. Quis autem nisi extreme  
impius, magnalia illa Dei vilescere cum cæpisse affirmabit?

### Secundus Error.

De organis instrumentis musicis, & musicâ figurali in  
templis.

Musicam figuralem, organorum musicorum usum,  
tanquam rem prophanam & Deo abominabilem, imò &  
Psalmodiam omnem rejecerunt ac damnarunt nonnulli  
Lutheranorum: Jam verò cum hæc eadem denuò resti-  
tuant ac revocent, brevi, quod faxit Deus, ad nostrum in-  
tegrum cultum Catholicum revertentur.

### REFUTATIO.

I. Organorum musicorum, ut & instrumentalis musicæ usum tole-  
randum in Ecclesia maximè statuimus: licet non inficias eamus, quos-  
dam zelo suo, carente verbi divini scientiâ, inconsideratè organa,  
tanquam profana, dejecisse, atq; ex templis eliminasse: quorum in-  
temperiem atq; avaritiam nemo sapiens probabit.

II. Ad veram autem Dei ac virtutum rerumq; præclarè gestarum ce-  
lebrationem, & veram de Deo, & alijs rebus bonis doctrinam, majori  
cum suavitate & oblectatione in mentes audientium insinuandam,  
adhibendam esse tum Instrumentalem tum vocalem musicam, & dictis  
& exemplis scripturæ probari potest.

III. Scripturæ testimonia ex Psalmis hauriri possunt, ubi David  
gratiarum actionem ac laudes divinas non tantum voce pronunciari,  
& literis scribi: verum etiam leto & alacri cantu, & fidibus ac va- a) Psal. 33.  
rijs Instrumentis musicis celebrari jubet. Sic enim inquit, Cantate ju- V. 1. 2.  
sti in Jehova, rectis decora est laus, celebrate Jehovam in Cithara, in  
nabla & decachordo spallite ei. Item (b): Laudate Dominum in sono b) Psal. 150.  
tuba: laudate eum in spalterio & Cithara: laudate eum in tympano V. 3. 4. 5.  
& choro



& choro: laudate eum in choris & organo: laudate eum in Cymbalis bene sonantibus: laudate eum in Cymbalis jubilationis.

c) 2. Par. 20.  
25.

d) 1. Par. 29.  
25.

e) 1. Reg. 10.  
12.

**IV.** Exemplis rem confirmant; Rex Josaphat (c) veniens cum nablis, citharis & buccinis ad eadem Domum: Ezechias (d), constituens Levitas in domo Domini cum cymbalis & nablis atq; Citharis, juxta præceptum Davidis: Salomon (e) ex lignis Almugim faciens ad laudem Dei citharas & nabla cantoribus: & alij, quorum musica instrumentalis in templo à Spiritu S. non reprehensa, sed commendata est.

**V.** Usum autem hunc musica instrumentalis legitimum quando concedimus, nihil minus facimus, quam quod ad castra Pontificia transeamus: Hoc enim tunc fiet demum, quando Diabolus probus esse inceperit, hoc est, ad Calendas Gracas. Eo ipso namq; quod Musica instrumentali, linguâq; peregrinâ formatis cantiunculis meritum attribuunt, in rotum se à nostris cœtibus segregant, qui melius edocti, instrumenta musica esse adiaphora, & ad celebrationem quidem nominis divini, Ecclesiâq; ædificationem utilia, non tamen sub cultus aut meriti opinione Ecclesijs obrudenda, rectissimè sentiunt.

### Tertius Error.

De templis, sacellisq; ædificandis, & ornatu eorum.

Magnifica & præclara templa extare, plurima item sacella ac monasteria magnis sumptibus ubivis locorum intra & extra urbes, civitates, pagos, vicos ædificare, est singulare cultus opus, Deo gratissimum. Quocirca, quò plus ad horum extruccionem atq; ornatum quis confert ac contribuit, eò plures gradus in cœlum promeretur.

### REFUTATIO.

**I.** Idololatricum hoc & extremè blasphemum, in cultum Deo soli præstandum, meritumq; Christi sufficientissimum, prolixam non requirit refutationem. Brevissimè igitur respondemus 1. ad habendas conciones pias, & ad verum usum Sacramentorum, Deumq; laudandum & invocandum, esse quidem loca eligenda, & ædificia extruenda: externo autem materiali ædificio seu templo sanctimonie & cultus fidu-

ciam



ciam ascribere velle, esse summam idololatriam. Ego enim Iehovah hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, dicit Dominus (a).

a) Esa. 42. 8.  
c. 48. 11.

II. Deinde multitudo templorum ac sacellorum in una loco non necessariorum, nulla siue scripturae sacrae, siue primitivae Ecclesiae nititur autoritate, atq; exemplo gentilissimum potius, quam Christianismum sapit. Ut enim Ethnici fana suorum Deorum varijs in locis disposuerunt: ita Pontificij ad exempla gentium idololatræ, plurima sua templa ac sacella, vanâ merendi, expiandi seu satisfaciendi opinione persuasi, exstruxerunt. Quod commune cum Ethnicis merito illis relinquitur.

III. De meriti opinione, nullis operibus humanis affingenda, in Er. 3. cap. 1. tum & in aliquot superioribus actum est Disputationibus (b), unde qui volet, materiam differendi in ipsa controversia, desumere potest.

b) Disp. 10.  
c. 3. Er. 2.  
Disp. 12. c. 3.  
Disp. 17. c. 1.  
Er. 3. 6.

#### Quartus Error.

Vos Lutherani docetis, templa nostra papistica propter Idololatriam, quæ in illis, juxta vestrorum infantiam, exercetur, diruenda & destruenda esse.

#### REFUTATIO.

I. Plus nobis affingitur, quam per febrim in minutem venire posset unquam. Nostrorum sententia est, retinenda quidem esse ædificia illa, ob causas supra adductas; verum tollendum esse abusum, hoc est, ab omnibus idolis & superstitionibus repurganda esse templa, ut sic verus eorum maneat usus.

II. Quando autem de sublatione hac abusuum in templis Papisticis receptorum loquimur, non securi aut bipenni eam fieri volumus: sed verbo, quo erudiendi sunt homines de cavendis superstitionibus, idololatriâ, & erroribus. Atq; in hunc modum reformata templa papisticis falsis cultibus prophanata, porrò ex libertate Christiana, possunt accommodari usibus sanctioribus.

III. Rei hujus veritatem Salvator noster ipse suo probat exemplo, in templo Hierosolymitano, quod tamen speluncam latronum appella-



a) Luc. 19. vit (a) sepiſſimè docens: Sic Paulus (b) ad Altare Deo ignoto conſe-  
v, 46. crarium gentibus, Chriſtum prædicavit Athenis. Manere enim rei  
b) Act. 17. 23. ſubſtantia & uſus poteſt ac debet ſublato abuſu.

### CAPUT TERTIUM,

#### De miraculis.

##### Primus Error.

Miracula ſunt ſolius Eccleſiæ Chriſti propria ſigna: His enim Dominus & Salvator noſter Eccleſiam ſuam inchoavit.

### REFUTATIO.

I. Duo in hoc errore falſo aſſerunt Pontificij, unde bimebris emergit reſponſio. Ad primum, quod ajunt, miracula ſolius Chriſti Eccleſiæ ſigna propria eſſe, reſpondemus per inſciationem; cujus rationem ex ipſius Chriſti verbis deducimus: Sic enim inquit (a): Multi dicunt mihi, in die illa, Domine, nonne in nomine tuo propheta vimus, & in nomine tuo demonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Tunc conſitebor illis, quia nunquam novi vos, diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Quod ſi igitur miracula ex Pontificiorum ſententiâ eſſent propria vera Eccleſiæ nota, tunc omnes, qui ea ederunt, cæcus veri viva membra eſſent: At conſequens, perhibente Chriſto, falſum: Falſum igitur & Antecedens.

II. Deinde ſi procederet Papistarum opinio hæc, ſequeretur, inter Ethnicos quoque fuiſſe veram Dei Eccleſiam, apud quos plurima facta eſſe miracula, monumenta hiftoriarum teſtantur: At poſterius abſurdiſſ. E. & prius.

III. Eodem modo reſpondemus & ad alteram hujus erroris partem, negando nimirum, Chriſtum per miracula Eccleſiam ſuam inchoaſſe, quod affirmant Papicola. Contrarium enim probat Præco ipſius Johannes Baptiſta, qui, cum præmiſſus Domino viam præparare deberet, non à miraculis, ſed à doctrina inchoavit b) Novum Teſtamentum, convertendo corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum.

b) Matt. 3. 1.  
Marc. 1. 3.  
Luc. 3. 3.

IV. Hunc



IV. Hunc secutus ipse Christus, Ecclesia sua caput, prædicatione  
 verbi sui regnum suum aperte inchoavit. b) Postea emittens Christus  
 discipulos suos hanc ipsis dat instructionem: c) ut euntes in universum  
 orbem, prædicent Evangelium, omne creature: quam prædicationem  
 præmissam, deinde secutura signa ac miracula pollicetur. Atq; sic  
 prædicationem verbi, non autem miracula præcedere voluit.

b) Matth. 4.  
 v. 17.  
 Marc. 1. 16.  
 c) Matt. 28.  
 19.  
 Marc. 16. 15.

Secundus Error.

Nostra, quæ vos vocatis papistica miracula, prope-  
 modum infinita, stupenda hæctenus, per aliquot secula,  
 ad statuas & reliquias sanctorum edita, sunt vera divina  
 miracula, ac signa nostræ veræ Catholicæ Ecclesiæ. Vos  
 Lutherani, ne claudicantem canem sanare potestis, &  
 omni prorsus miraculo caretis.

REFUTATIO.

I. Non unius esse generis omnia miracula, principio hic didicisse ma-  
 ximè jurat. Quædam enim sunt divina, quædam sunt præstigiæ Dia-  
 boli, quædam sunt figmenta hominum. Pontificij sua signa ad pri-  
 mum genus, sive ad divina miracula referunt: Nostrates eadem da-  
 mnantes, partim præstigiæ Satanae, partim hominum mera figmenta  
 ea esse rectius judicant, quam miracula.

II. Donum enim edendi miracula, fuit tantum proprium ac pecu-  
 liare Ecclesiæ Apostolicæ, à Christo discipulis, eorumq; prædicationi cre-  
 dentibus, concessum ad doctrinæ prædicatæ confirmationem, quod  
 post Apostolorum tempora, confirmatâ jam satis doctrinâ desijt ita,  
 ut non tantum miraculis non sit opus; Verum etiam Christus ipse &  
 Apostoli ostentationem miraculorum postremis seculis inter præci-  
 puas Pseudochristi & Antichristi notas recensent. Surgent, inquit  
 Christus (a), Pseudopropheta & dabunt signa magna & prodigia.  
 Et Paulus (b): Adventus Antichristi est in omni virtute & si-  
 gnis & prodigijs mendacibus, in omni seductione iniquitatis. Et  
 Johannes (c): Facit, inquit, signa magna, & seducit habitantes in

a) Matth. 24.  
 v. 24.  
 b) 2. Thess. 2.  
 v. 9.  
 c) Apoc. 13.  
 v. 13.

terra



terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu be-  
stia.

III. Inter hæc signa, omnia illa miracula prisca & moderna, regnan-  
te Antichristo Romano in Ecclesia Dei, merito numeramus; tum  
quia ad multos tetros errores stabiliendos conducunt: tum potissi-  
mum, quia abducunt ab uno solo vero Deo, ad Deos alios. Quare  
d) Heb. i. v. cum Autore Epistolæ ad Hebræos concludimus: d) Olim quidem  
1. 2. Deum multis modis verbum suum patefecisse, quod miraculis, compro-  
batum fuit: novissime vero in postremis diebus locutum nobis esse per  
filium: cujus doctrinam, per Apostolos propagatam, & per signa sub-  
sequencia satis confirmatam qui docent, atq; amplectuntur, vera  
sunt Ecclesie Christi membra, nec ut ullam aliam reve-  
lationem expectent, necessum habent.


LAUS DEO.













IV. Hunc secutus ipse Christus, Ecclesia  
verbi sui regnum suum aperire inchoavit. b  
discipulos suos hanc ipsis dat instructionem:  
orbem, predicent Evangelium, omne creature  
præmissam, deinde secutura signa ac mira  
predicationem verbi, non autem miracula p

### Secundus Error

Nostra, quæ vos vocatis papist  
modum infinita, stupenda hactenus  
ad statuas & reliquias sanctorum ed  
miracula, ac signa nostræ veræ Cath  
Lutherani, ne claudicantem canem  
omni prorsus miraculo caretis.

### REFUTATIO

I. Non unius esse generis omnia miracula, p  
ximè jurat. Quædam enim sunt divina, qua  
boli, quædam sunt figmenta hominum. Po  
mum genus, sive ad divina miracula referunt  
mnantes, partim præstigia Satana, partim  
ea esse rectius judicant, quam miracula.

II. Donum enim edendi miracula, fuit tan  
liara Ecclesie Apostolica, à Christo discipulis, a  
dentibus, concessum ad doctrinæ predicat  
post Apostolorum tempora, confirmatâ jam  
ut non tantum miraculis non sit opus; Verus  
Apostoli ostentationem miraculorum postres  
puas Pseudochristi & Antichristi notas recen  
Christus (a), Pseudopropheta & dabunt signa  
Et Paulus (b): Adventus Antichristi est  
gnis & prodigijs mendacibus, in omni seduct  
Johannes (c): Facit, inquit, signa magna,

predicatione  
tens Christus b) Matth. 4.  
n univ. v. 17.  
predicationem c) Marc. 1. 16.  
r. Atq; sic c) Matt. 28.  
uit. 19.  
Marc. 16. 15.

a, prope-  
di secula,  
ra divina  
fia. Vos  
testis, &

dicisse ma-  
stigia Dia-  
na ad pri-  
eadem da-  
a figmenta

n ac pecu-  
tioni cre-  
em, quod  
desijt ita,  
lus ipse &  
er præci-  
t, inquit  
prodigia.

a) Matth. 24.  
v. 24.  
b) 2. Thes. 2.  
v. 9.  
c) Apoc. 13.  
v. 13.

terra

